

REGNUM MORTUORUM.

Nro. 36.

 Elysium-Meum, Die Martis, 29. Maji, 1810. (Neov. 12. Maj, 1810.)

Dat Gallenus opes —

Sed paucis, sed parce.

Observ. med. exp. C. I.

*Loquentes Umbrae.**Galvani. — Galenus.*

Galenus. Tua detectio Galvani doctissime! sane memorabilis est, verum artem saluberrimam parum adjuviffe proditum est.

Galv. Observationes adhuc continuantur, videbatur hinc & inde Galvanismus meus quosdam in Medicam effectus exeruisse; at hos jam olim Electricitatis doctrina edidit. Cæteram studium prosequendum est, sæpe fit: ut natura arcana sua occulat, cælet, — potius fit ut fortuitum. —

Galen. Ita est, bene advertis, fortuitum — fortuito inquam multas easque præclaras detectiones in acceptis ferendas habemus, plures fortassis quam opero:æ Eruditioni.

Galv. Non constat hæc amplius tot fastigiis, quam ante dimidium Sæculum; homines in multifariis scientiis & cognitionibus processere, hodierna ætate intra annum plus discitur, quam olim per quinque — aut sexennium.

Galen. Ut hoc? non assequor.

Galv. Aetate Vanswitenorum, Hænorum aliorumque celebrium virorum, juvenis Sexenio in sic dictis *Humanioribus* deincebatur, docebatur in iis latinitas, historia, Poësis potius: ars Metrica, Elementa Rhetoricæ, sed potissimum Grammatica.

Galen. Sane præclara occupatio hæc erat pro adolescente.

Galv. Iis exactis Juveni Universitas aut Aoademia adeunda, ibique mentem Logica, & Metaphysica excolendam habuit.

Galen. Hoc equidem haud longum tempus fuisse autumo.

Galv. Sed jam ad ipsam Medicam — Vanswietenus universum Medicum Cursum in senos annos distribuit, ita ut nullam partem transsilire licuerit. Quo exacto nondum practicus erat Medicus. Necessum erat in Nosocomiis, aut apud bonum quemdam Medicum ceu *Ammanaensis* practicas cognitiones saltem per biennium addiscere, proin exantlatis primum indefesso labore per 16 annos studiis doctrinam suam exercere & cum ea vitæ subsidia quærere licuit.

Galen. Id mihi profecto longum minime videtur. — *Ars longa, vita brevis.*

Galv. At hodie (O felicia tempora in compendio!) hodie inquam, mens humana aptior, alacrior, ad intelligendum expeditior instructiorque est, quam olim. Intra triennium plus discitur, quam in Universitate per 16 annos. Duo aut tres anni in Universitate transacti, — & laurea doctoralis promte

porrigitur — & adest Medicus omnibus numeris absolutus, Galli dicunt: *Il est médecin comme un autre.*

Galen. Pro quærendis vitæ subsidiis ratio hæc consultior est; at pro arte? pro patiente?

Galv. Primum discitur scientia, tum praxis. — Etenim generatim hodie in hoc argumento omnia leviora reddita. Præsto habetur Elenchus Pharmacorum, pro singulis morbis, qui ut primum qua talis decisus ac declaratus est, jam *Recipe* præsto etiam est. Præterea ars Medica ex duobus annis in duo breviam axiomatica contracta & redacta est.

Vires roborare, aut debilitare. Ab hac Methedo rursus non nihil recessum est, quæ nihilominus non contemnendam lucem scientiæ attulit. Interim minime ex eo tibi Care Galene! concludendum est: hodiernæ ætati præclaros, solertes celebresque Medicos deesse. — Heri in Ephemeridibus Moguntinis memoratu dignum documentum medici indagandi cupidi ingenii legi — cujus argumentum & annunciationem tibi haud ingrattam spero, ad rem igitur.

Josephi Wenzelii Observationes de Processu Cerebelli apud Epilepticos et Caduco morbo laborantes personas opus posthumum, editum a Doctore Carolo Wenzel etc. 9 aeri incisiss tabulis. Moguntiae apud Florianum Kupferberg 1810. in 8. maj.

Defunctus *Dr. Wenzel Prof. Anatomie* in hujate Medico Collegio, celebre nomen

eruditis pluribus quas edidit dissertationibus in Litteratura Medica adeptus quas in societate & communi cum fratre opera elaboravit. Majus opus horum fratrum in argumento Cerebri hominis & brutorum, de quo jam 1806 Prodomus editus admodum luculentum argumentum est meritorum quæ dum viri posuere in salebrosa hac historia naturalis parte excolenda, ad quæd Josephi Wenzel improba in analisi corporum solertia haud parum contulit. Quapropter jure optime præsumi potest: Cl. auctorem harum observationum exactissimam normalis structuræ cerebri & ejus singularium partium habuisse, — his ille dotibus pollens auctor sociusque societatis, quæ ei mandatum speciale dedit, Cadavera epilepticorum hominum, sollicitudine summa pervestigandi, collegit ex anno 1804 usque 1808 vicinas ultra summi momenti observationes, quibus Anatomia Cerebrorum totidem ex Individuis quæ vita Comite epilepsia laborarunt, qualibet vice *morbosam variationem in processu Cerebelli* indicabat. — Mutatio nempe hæc in eo consistebat, quod in utraque valva processus Cerebelli jam flava, firma, friabilis massa, jam semi fluida, obscura, tenax lympa posita fuerit eum defectu *substantiæ* hujus partis. — Jam anterior valvæ protentior, erat, & ubivis albo flava benigno puri in Colore similis densa substantia reperiebatur, aut compages utriusque valvæ videbatur, in singularibus locis separata, absque in medio illius duræ flavæ

tenacis materiæ, aut superficiales Processus Cerebelli omnia signa minimum inflammabilis status habebat. In summa auctor processum Cerebelli in cadavere epilepticorum continuo adfectum deprehendit. Hæc detectio momentosa erat; quippe investigatione, id genus Cadaverum hæctenus jam hanc jam aliam Cerebri partem, jam omnes, jam nullam morbose mutata deprehenderunt, rara aut superficialis solum erat indagatio & questio in illam in Cavo Sellæ turcicæ reconditam partem processus Cerebelli, qui jam vero ab auctore continuo repetita attentione examinatus, in morbo Caduco (epilepsi) notabilem personam agere videbatur. — *J. Wenzel* multo prudentior erat, quam ut ex his observationibus prævia Consectaria deduxisset. Una ejus Cura erat eas locupletare, cum Ecce! Saeva Atropes doctæ vitæ filium absceidit. —

Clarissimus igitur Carolus Wenzel has observationes sub memorato titulo cum multis adpendicibus vulgavit & totum opus eo elaborante, in quo opere ubivis ingenium; doctrina & propria experientia eluget, suam adeo allicientem formam adeptum est, ut non facile de simili opere tanto jure dici & prædicari valeat: Editori par encomium cum auctore deberi — prout de hocce affirmari potest.

Postquam observationes defuncti fratris occasionemque earum enarrasset, communicat nobis admodum eruditam, ex propria potis-

simum experientia haustam animadversionem de varietatibus Corporis ossis Sphæroidæ, in ratione physiologica detectionem, quæ ei ad sententia continuandas auctoris observationes essentialiter necessaria visa, & absque quæ ipsæ illæ fortassis notam unilateralitatis non evitaturæ fuissent. — Etenim quævis mutationes in structura ossis, quæ spatium pro processu Cerebelli diminutum, aut quacunque ratione extensior redditur, aut Cardinalia puncta partium processum Cerebelli ambientium extimæ duræ matris & majorum ramorum arteriæ Cerebri mutationem subeunt, verbo: omne per quod securitas situs hujus partis adfiatur, isthic seu morbosa adparitio, consideranda est. — Editor de eo tantopere persuasus erat, ut paullo infra attentum lectorem reddiderit ad quasvis pathologicae mutationes *partis posticæ sellæ prominentiæ turcicæ, Cavæ sellæ turcicæ ossis, exorescentiarum in diversis partibus Corporis ossis sphæroidum, tumescentiæ ossis, Caricæ, Cretinismi, atque una subnecteret detectas ab auctore occasione sectionis epilepticarum personarum morbosas Cerebri & Cranii generatim mutationes. Nec minus Cl. Wenzel bene meritus hoc opere per id: quod observationes reliquorum Medicorum circa mutationes in Cranio & Cerebro epilepticorum curiose collegit, atque cum iis, quas defunctus suus frater coacervabat, comparavit, Critica id genus Collectio ex tot factis hausta perquam æstimanda est, atque seu completa perfectæ-*

simum experientia haustam animadversionem de varietatibus Corporis ossis Sphæroidæ, in ratione physiologica detectionem, quæ ei ad sentite continuandas auctoris observationes essentialiter necessaria visa, & absque quæ ipsæ illæ fortassis notam unilateralitatis non evitaturæ fuissent. — Etenim quævis mutationes in structura ossis, quæ spatium pro processu Cerebelli diminutum, aut quæcunque ratione extensior redditur, aut Cardinalia puncta partium processum Cerebelli ambientium extimæ duræ matris & majorum ramorum arteriæ Cerebri mutationem subeunt, verbo: omne per quod securitas situs hujus partis adfiolitor, isthic ceu morbosa adpartitio, consideranda est. — Editor de eo tantopere persuasus erat, ut paullo infra attentum lectorem reddiderit ad quasvis pathologicas mutationes *partis posticæ sellæ prominentiæ turcicæ, Cavi sellæ turcicæ ossis, excrementiarum* in diversis partibus Corporis ossis sphæroidum, tumescentiæ ossis, Cariei, Cretinismi, atque una subnecteret detectas ab auctore occasione sectionis epilepticarum personarum morbosas Cerebri & Cranii generatim mutationes. Nec minus Cl. Wenzel bene meritus hoc opere per id: quod observationes reliquorum Medicorum circa mutationes in Cranio & Cerebro epilepticorum curiose collegit, atque cum iis, quas defunctus suus frater coacervabat, comparavit, Critica id genus Collectio ex tot factis hausta perquam æstimanda est, atque ceu completa perfecta-

que pathologica Anatomia Cerebri & Cranii in ratione epilepsiae cuiusvis scrutanti Medico summopere grata esse debet. — D. Cl. Wenzel propriis cum observationibus seu Consectariis eorum, quæ proposuit his concludit.

„Fortassis eæ solum epilepsiae curabiles sunt (in cæteris dicitur) quarum Causæ in morboris adfectionibus aliarum Corporis partium sitæ sunt; atque forsane eæ non sunt, quæ nituntur, morbosa hac processu Cerebelli adfectione? — An docet nos forsitan continuata, adeurata, in *praemissis* exacta experientia studium morbi, in quo ars fini convenienti ratione se exercere potest, an inquam docet aliud, in quo quodvis medendi tentamen, etiamsi singulari alacritate eminerit, ægroto periculosum esse potest?”

Vienna die 21. April. Quæ in Turcia aguntur, certo non exiguum habebunt ad nostram quoque politicam momentum. — Non pauci mercatores Tergesto Viennam advenerunt sedem fortunarum ibidem fixuri, quibus optimus noster Imperator consilium Tergestum rursus redeundi dedit, alleverans, ipsos brevi læto nuncio esse recreandos; id quod jucundissimas spes excitavit.

Quod de nova Constantinopoli excitata seditione in ephemeridibus publicis paucis commemoratum fuit, nihil erat aliud, quam commentum ejusdem quæstum gossipio exercentis, interim tamen momentosa est rerum in Turcia facies.

Hyems et aestas — Bellum et pax.

Non caret fundamento observatio illorum, qui ephemeridum scriptores hyemem in divinando bella, æstatem autem in confundendis his divinationibus consumere arguunt. Naturæ quippe se conformant, quæ hyeme ingentes glaciæ montes construit: vere autem eosdem dissolvit, & in placide currentes rivos derivat.

B I O G R A P H I A.

Aloysius Galvani celebris erat Physicus. Quantam Galvanismus, ab ejus nomine ita compellatus, in erudito mundo attentionem excitaverit, cuique notum est. Sequens circumstantia dicitur detectioni ipsius *occasionem* dedisse: uxor ejus circa annum 1783 jure, e ranis confecto, quod maritus ipsi præparabat, valetudinis reparandæ causa vescabatur. Dum itaque semel cutes plurimum ranarum detraheret, casu uxorem attigit — atque fortuito hoc actu factum est, ut mirum illud phaenomenon detegeret Galvani supremum diem obiit 5. Februarii 1799, anno ætatis juxta quosdam 53, juxta alios 55.
